



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

De Missae apparatu in vasis, supellectili, luminaribus, Incenso, Minsitris,  
Cantoribus, & aliis quae infra separatim indicantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

diaconi planetis utuntur. Quando autem, & qua occasione hic ritus coepit, non liquet. Ejus minuit ordo Romanus, à quo usus Planetæ etiam Acolythis tribuitur. Nam in ordine Ecclesiastico Romana Ecclesiæ, vel qualiter Missa celebratur, Subdiaconus, inquit, tenet Pallium Pontificis in brachio suo super planetam. Et paulò post, Subdiaconus regionarius terens mappulam Pontificis in brachio sinistro super planetam revolutam extens ad regiam Secretarii dicit. Item, Parat Evangelium qui lecturus est referato sigillo ex precepto Archidiaconi super planetam Acolyti. Et infra. Archidiaconus suscepit amulas, quem sequitur cum scypho super planetam Acolykas. Consentit Amalarius, qui lib. 2. cap. 19. Casula, inquit, est generale indumentum sacerorum duorum, & pertinet generaliter ad omnes clericos. Item, Casula dupla est, post tergam inter humeros, & ante pectus. Nullum autem tam ordo Romanus, quam Amalarius ponunt discrimen inter planetam sive casulam sacerdotum & aliorum ordinum. Cum enim scriberent de re noctis, & eo tempore omnium oculis subiecta, non satis exprecesserunt an & quomodo hujusmodi planetæ inter se differant. In aliis autem auctoribus nihil reperio, quo hic ritus clarius explicetur. Suspicor itaque, Planetæ nomina æquivocum tunc fuisse, & pro ueste acceptum, qua sacerdotes & ministri postremò inducebantur, quæcumque illa fuerit: sicut hodie, ut supra notavimus, cappam vocamus latum illud indumentum, quo Cardinales, Episcopi, & Canonici amiciri solent, cum publicas & ecclesiasticas functiones obeunt, vel choro assistunt sacris uestibus non induti: sicut etiam cappe nomen triomphus externo amictui multorum Religiosorum, atque etiam secularium; licet multum ab invicem discrepant. Quod si disperget haec conjectura, viderint peritiores, quid de hac re statuendum sit; nam eisdem fuisse Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum, atque Acolytorum planetas non credo, nec conveniens & verisimile videtur.

*De habitu sacro Clericorum. Quid & quale  
sit Superpelliceum.*

XX. **N**unc Clerici minorum Ordinum, cum sacerdoti celebranti ministrant, superpelliceis utuntur, qua vox barbara est; & ante annos sexcentos incognita: res autem sub aliis nominibus an fuerit ab antiquis designata, incertum est. Qui à temporibus Apostolorum usum superpellicei derivant, vetusta ei vocabu-

la tribuunt; nam quidam esse Ephod contendent, alli phelonium Graecorum, alii lacernum birrum, de quo in actis Cypriani: alii amphibalum, de quo Remigius in testamento ait, *futuro Episcopo successori meo amphibalum album paschalē relinquō*: quæ omnia accuratiū examinare proposita mihi brevitas non patitur. Illud sane certum est, tempore S. Hieronymi, ut ipse testatur l. 1. adv. Pelagianos, omnem clerum in sacrificiū consummatione candidis uestibus ministrasse. Postea etiam hoc confirmari ex concilio Narbonensi anno 589. acto, quo sanctum fuit, ne Diaconus, Subdiaconus, aut Lector, antequam Missa consummetur, Alba se presumant exuere. Ex quo colligitur, etiam Clericos alba induitos sacrificio attulisse. Sicut autem alba talaris est, ita etiam superpelliceum talare olim fuisse Stephanus Tornacensis, qui vivebat anno Christi 1180, testis est epist. 123. ad Albinum Cardinalem, cui mittit superpelliceum novum, candidum, & talare. Honorus similiter de indumentis Clericorum differens lib. 1. cap. 232. uestem esse ait laxam & talarem. Successu vero temporis decurtatam esse concilium B. silense ostendit sess. 21. ubi decernens quomodo divinum officium in ecclesia celebrandum sit, præcipit clericis habere tunicas mundas, & superpellicea ultra medias tibias longa. Nunc adeò detruncata sunt, ut vix ad genua pertingant.

CAPUT XXXV.

*De Missæ apparatu in vasis, supellecili, lumenaribus, Incenso, Ministris, Cantoribus, & aliis, quæ infra separatis indicantur.*

**P**ost Sacerdotum & Ministrorum indumenta sequuntur ea quæ propius ipsum sacrificium attingunt, sacra scilicet vasa, supellex & ornatus altaris, & reliqua ad Missæ apparatum pertinentia, de quibus breviter agendum est.

*De Calice, ejusque origine & materia. Lignos quandoque fuisse, lapidios, & corneos; aneos item, & stannios. Actum fusius de vitreis. Ecclesiam non nisi aureos & argenteos approbasse. Addita his gemme & alia ornamenta. Quidam calices cum ansis. Quidam maiores, & minores; ministeriales, & Baptismi.*

I. A Calice